FRANCKESCHE STIFTUNGEN

Alte Drucke

ENCHIRIDION || CHRISTIANAE INSTITV-||tionis in Concilio prouinciali Colo-||niensi editum, opus omnibus ve-||ræ pietatis cultoribus lon-||ge ...

Gropper, Johann

Parisiis, 1550

IN Symbolum ApoSTOLORVM PRAEFATIO.

Nutzungsbedingungen
Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.
Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.
Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use
All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.
Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.
For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150244

Visual Library

IN Symbolum Apostolorum.

PRAEFATIO.

QVI DOCTRINAE Christianę rudimenta, omnibus hominibus ad perpetuam salutem necessaria compendio tradunt, (sunt enim in hoc argumento complures, quum doctrina, tũ pietate illustres viri, summa cum laude ac fructu versati) haud dispari quidem sententia, non vno tamen ordine omnes incedunt. Nos eum potissimũ sequendum putamus, quo Ecclesia catholica per lauacrum regenerationis nos efficit Christianos. Ibi enim symbolũ Apostolicum (quæ est fidei regula) primum locum tenet, quòd hæc quum in fidelium mẽtibus digito Dei exarata fuerit omnem cæcitatem cordis expellat, omnes satanæ laqueos (quibus implicati infœliciter nascimur) disrũpat, ianuamq; diuinæ pietatis aperiat, quam introgressi, soluto reatu corruptionis antiquæ (qui ex primi parentis Adæ delicto, in omnes posteros deriuauit) ad suauem odorem præceptorum Dei feramur ipsique in sua ecclesia lęti deseruiamus, ac proficiamus de die in diem, donec occurramus omnes in virum perfectũ, in mẽsuram plenitudinis Christi. Hunc ordinem ostendit beatissimus illæ ecclesiæ doctor Paulus: Accedẽtem (inquit) ad Deũ oportet credere. Et Rom. 5. Per quem habemus accessum per fidem in gratiam istam. Ac rursus ad Hebræos: Sine fide impossibile est placere Deo. Sed & propheta dicit: Nisi credideritis, non intelligetis. Vt ergo intelligentiæ aditus patescat, omnium primum symboli professio proponitur, in qua fidei catholicæ fundamentum, super quod ædificium ecclesiæ surrexit, constructum manibus Apostolorum ac prophetarũ cõtinetur, idque mirabili breuitate, perspicuitatéque sermonis, vt de hac summa diuini dogmatis propheta non immerito dixisse videatur, Verbum consumans & abbreuians in æquitate, quia verbum breuiatum faciet Dominus super terram.

Ordinis ratio.
Cyprian. in symbol.
Symbolũ fidei regula.
Hiere. 31.
Heb. 8.
Heb. 11.
Heb. 11.
Esa. 7.
Augu. in symbol. li. 4. ad Catechu.
Ephes. 2.
Esaiæ. 10.

Ne

NE verò quis in primo vestibulo statim offendat, nemo putabit hanc fidei regulam ac doctrinam, humana tantum industria perdisci compararique posse. Dei enim donum est fides. Cæterum, verbi ministrer huius fidei prædicator, secundum gratiam quæ ipsi data est, non nisi plantator est & rigator. Neque tamen (vt Apostolus ait) qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus, qui vnicuique partitur mensuram fidei prout vult. Illi ergo tota laus debetur, qui intus & docentis organum temperat, & discentis mentem transformat.

Augu. ad Sixtũ contra Pelagianos.

1. Cor. 3.

1. Cor. 1.

Ibidem.

Qua de re cùm nobis tantus magister (quem cœli cœlorum adorant, ac tremũt dominationes & potestates) audiendus sit, oportet huc accedentem deponere omnem arrogantiam ac supercilium, omnem carnis sensum & humanę rationis argutias, vt simpliciter certóque credat quicquid nobis ad salutem diuina tradidit authoritas. Quod tamen nõ prius faciet, quàm Deus id per suam gratuitam misericordiam ipsi largiatur. Nam ea sola facit, vt fideles simus, ac Deo per omnia credamus.

1. Tim. 1.

FIdes ergo, de qua hìc agimus, est donum menti hominis diuinitus infusum, quo citra vllam hæsitantiã credit esse verissima, quæcunque diuina eloquia docuerunt: quã Paulus apostolus describens, consistere asserit in earum rerũ, quę non videntur cognitione, assensionéque longe omnium certissima, quòd in Deum, cui creditur, nulla suspicio vanitatis cadere possit. Hæc sola aditum prębet, ac facit, vt qui per incredulitatem & superbiam veteris Adæ à Deo excidimus, Deo rursus appropinquemus, ac etiam per charitatem inseramur. Infecta est in Adam protoplaste radix, vnde consequens erat, vt stirps quoque tota vitiaretur. Erant siquidem homini in primis præcipuæ illæ animæ vires, intellectus & voluntas, in hoc diuinitus inditæ, vt Deum veluti optimũ simul & maximum rerum omnium conditorem ac conseruatorem perpetuo agnosceret, agnitum verò, quoad fieri posset complecteretur. A posteaquam protoplastes legem Dei neglexit, & satanæ legibus obtẽperare maluit, protinus intellectum, hoc est mentem & rationem, qua iudicaret, quid eligendum, omnis error inuasit. Itidem voluntatem, qua expeteret quod commonstraret ratio, carnalis concupiscentia graiter vitiauit. Atq; ita factum est, vt recesderet homo (qui ad

Fides quid sit.

Augu. in Enchir. ad Laurentiũ

Heb. 11.

Rom. 3.

Ioan. 3.

Radice in Adã corrupta vitiata est tota stirps generis humani.

Augu. de symbolo ad catech. lib. 1.

Duplici remedio opus.
Psal.48.
Acto.15.
1.Tim.1.

imaginem Dei creatus fuerat à Deo conditore suo) comparatusque iumentis insipientibus, similis illis factus sit. Vtraque ergo parte vitiata, duplici remedio opus erat, fide, quæ purificaret cor, hoc est mentem & rationem, ceu fontem animi: & charitate, quæ submoueret prauas cupiditates, vt ad ea tantum feramur quæ prescripsit Deus. Sed vtrunque remediũ non aliunde, quàm à Deo petendum vel expectandum erit. ambo enim ipsissima Dei dona sunt, quòd nemo per fidẽ veniat ad patrem, nisi per filium. Et vicissim, nemo veniat ad filium, nisi pater taxerit eum. Rursus, Charitas Dei per filium promerita non aliter deffunditur in cordibus fidelium, quàm per spiritum sanctum, qui datus est nobis.

Ioan.6.
Rom.5.

Sũma symboli.
Credere in Deum.
Deus vnº essentia, trinus in personis.
Augu.de fide & symbo.

IAm vt ad symboli apostolici, in quo hæc fides proponitur expositionem pergamus: Principio sciendum est quicquid inibi continetur, tribus verbis summatim comprehendi. Nẽpe fide in Deum, qui vnitate essentiæ simplicissimè vnus est, & trinus in personis, quarum tamen eadem est deitas, eadem essentia & coæternitas, eadem omnipotentia, eadẽ maiestas, eadem sapientia, eadem bonitas. Prima appropriatur patri, secunda filio, tertia spiritui sancto: Quarum proprietates disertè obseruandæ, & retinendæ sunt. Pater innascibilis est, Filius ab æterno genitus, appellatus Verbum & imago Dei patris, qui destinato tempore assumpsit humanam naturã ex virgine Maria, Spiritus sanctus ab vtroq; procedens, vtriusque quidem nexus ineffabilis. Pater per filium condidit vniuersa, Filius restituit prolapsa: Spiritus sanctus vtrique cum vtrisque cooperatur. Pater, cui summa est authoritas, per filiũ redemit ecclesiam, per spiritum sanctum gubernat, vegetat ac viuificat. Tribus ergo partibus hoc symbolũ, vt sunt tres sanctissimæ trinitatis personæ, ad quas refertur, constat. Prima pars Patri, secunda Filio, tertia Spiritui sancto deputatur. In singulas personas nos credere profitemur, vt diuinitatis vnitatem, ac parem potẽtiam testemur. Nam pares sint necesse est, in quos per fiducia collocatur.

Proprietates personarum diserte obseruandæ.

Tres symbol. partes.

SYMBO-